DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A D...

Filippo Spinelli, Valenti Gonzaga



Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XII.

PONTIFICI MAXIMO

PHILIPPUS SPINELLI

SALUTEM.



UAM *de ineffabili* TRINITATIS *mysterio orationem habui, quum Tibi sistere,* BEATISSIME PATER, *sacroque Tuo nomini consecrare mecum ipse cogi-*

tarem; duæ res in caussa erant, quæ me pavidum, atque rectius æstimantem ab eo consilio revocarent. Altera majestatis Tuæ ratio, altera meæ imbecillitatis. Terrebat quidem Pontificiæ Sedis dignitas, quam non tantum maximæ inter homines dignitatis amplitudine, quam virtutum Tuarum magnitudine, & præstantia imples, & ornas. Sed absterrebat longe magis munusculi, quod mei ingenii parvitas ab argumenti sublimitate immensum distantis extenuabat, inofficiosa exhibitio. Verum quum Te videam adeo humanitatis plenum, ut non solum neminem a Te repellas, aut beatissimi conspectus Tui jucun-

ditate

ditate potiundi cupidum, aut implorandæ a clementia Tua opis necessitate compulsum, sed omnes æquo libentique animo admittas, omnes munificentia Principis recrees, omnes charitate parentis complectaris, animos inde cepi, Teque adeundi consilium amplexus sum, oblaturus Tibi scriptiunculam hanc meam, argumento suo quæ satis quidem se Tibi commendaret, sed scriptoris imperitia, & exilitate ingenii quæ vix a clementia Tua veniam indulgentissimam speraret. Hanc tamen veniam me obtenturum confido, quam si diffiderem obtinere; næ injurius essem præclarissimæ illi de Te non præconceptæ, sed longa experientia

 con-

confirmatæ opinioni, nihil Tibi magis in amore, ac pretio esse, quam ut quibus antecellis gradu, iis Te parem facias humanitate, & quum nihil infra dignitatem agere possis, Tecum æstimes infra dignitatem Te acturum, si aut beneficiis, aut honoribus, aut encomiis, aut quod omni alia re potius est, Tua benevolentia quemlibet ad Te accedentem a Te discedere non auctum patiaris. Dignare itaque me paginam hanc meam ad sanctissimos Tuos pedes humillime deferentem sueta Tibi clementia excipere, & Apostolicæ Tuæ benedictionis præsidio munire.

ORA-



ORATIO.



SI quæ, BEATISSIME PATER, humanam intelligendi facultatem exſuperant, de iis diſſerere quidpiam ſapientes vetant, id ego ſtatim ſentio in hodierna celebritate convenire mihi, & TRINITATIS Auguſtiſſimæ myſterium me ſilentio potius debere colere, & obſequio, quam oratione complecti, & laudibus exornare. Quæ enim mentis acies inacceſſibilem illam, in qua Deus habitat, lucem inveſtigare audeat, quin continuo retundi atque hebetari, imo etiam penitus extingui majeſtatis fulgore experiatur! Verum tamen quum in hoc conſeſſu, quo nihil in terris omnibus aut ſplendidius eſſe poteſt, aut vene- 1.Timoth. 6.

ne-

abilius, verba faciendi auctoritate Vestra
hi onus sit demandatum, id curabo, &
antum potero perficiam, ut de re morta-
us impervia, & ab humana omni cogita-
ne semota neque omnino sileam, neque
juar omnino. Quod profecto non alia ra-
ne facilius assequi me posse existimaverim,
am si nihil utilius Christiano homini esse
sse, & Mysterii sublimitati convenientius
am non illud curiosa solertia inquirere, sed
nissima fide credere, ostendero.

Et quidem vani sunt, ut sacrarum litte-
um oracula nos docent, & inexcusabiles,
i in aspectabili mundo, in hac nimirum ma-
ificentia rerum, in tantis motibus tam
iltorum corporum, atque tantorum ordi-
ous eum, qui rerum omnium Creator est,
Gubernator, non intellexerunt. Exceptis
im paucis, in quibus natura nimium depra-
ta est universum genus humanum Deum
undi hujus auctorem confitetur; atque ve-
atis ipsius tanta vis est, ut nemo sit, qui non
deat ingerentem se oculis divinam clarita-
m. At vero TRINITATIS arcanum, quod est
Patribus traditum, adeo excellens est, adeo
tra hominum, & Angelorum intelligen-
im positum, ut nulla spes sit per creatarum
rum speciem ad illius notitiam perveniendi,
imo

imo tantum abeſt,ut quæ miniſterio ſenſuum, & conjectandi ſagacitate percipimus, ea vel minimum ad illud illuſtrandum conferant, ut rem potius ipſam obſcuriorem faciant,& ſpiſſa nebularum caligine obtegant, & abſcondant. Quæ enim nobis per Chriſtum manifeſta fecit Pater, ea non in ſapientia ſermonis Paulum prædicaſſe novimus, ſed contra affirmaſſe hominum ore proloqui non licere, quæ in exceſſu ſuæ mentis audierat. Quid nempe poteſt eſſe tam a ratione alienum, quam ea, quæ ſupra rationem tantum eminent, quantum infinita ſupra illa, quæ certis finibus circumſcripta ſunt, & ſupra humana divina, probabilibus argumentis inveſtigare? Si non inveſtigabiles vias Domini ſcripſit nobis Apoſtolus, quid de abditiſſimo earumdem viarum termino ſcripturum fuiſſe judicamus? Confundantur igitur, ſuoſque auſus non ſine dedecore inanes agnoſcant, qui aut liberius quam par eſt de Divinis Perſonis cogitant, aut minus caute ſermocinantur. Liberis enim verbis loquuntur Philoſophi, ut nos olim monitos voluit Auguſtinus, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignifican-

Rom. 11.

Aug. lib. 10. de Civit. cap. 23.

cantur, impiam gignat opinionem. Namque ubi quæritur unitas TRINITATIS, eodem Augustino teste, nec periculosius alicubi erratur nec laboriosius aliquid quæritur. Quæsivit stulta audacia de TRINITATE Sabellius, & tria dumtaxat nomina se invenisse infelicite pronuntiavit. Quæsivit temerario consili Arius, & in Verbo Dei rem creatam deliran invenit. Quæsivit procaci investigatione Macedonius, & ad Spiritus sancti intelligentian pervenire minime potuit. Ne quærant ergo ne quærant sæculi sapientes, ne quos in quæstione imitari volunt, imitentur errore. Mare siquidem est unitas in TRINITATE in unitate TRINITAS, mare est, in quo si vian planam fingis, certum naufragium experiaris ne-cesse sit. Verum quum animis nostris incorrupta fides insideat, acceptamque a majoribus religionem constantissime teneamus nobis invicem læti gratulemur. Veniet enim profecto tempus, quum depulsa hujus noctis caligine divina gratia fulti illo cœlestis gloriæ lumine perfundemur, in quo Deum sicut est, videre concessum erit. Tunc intuebimur Patrem, qui in Cœlis est, non quidem per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem: æternam illam Unigeniti Filii generationem, quam Prophetæ enarrare non potue-

tue-